

magnus Ecclesiæ athleta Bernardus adversus perniciosissimam illam sectam tum verbis tum scriptis egregie ac feliciter defendebat. Quod spectat ad rationem temporis; res in hac causa gestæ affiguntur anno Christi 1147, apud Baronium, Manricum et Pagium. Fuit autem Henricus ille olim monachus, tunc, ait Gaufridus, apostata vilis, pessimæ vitæ, perniciosæ doctrinæ; hanc vero idem biographus mox recenset ex ipsis sancti verbis, afferens fragmentum epistolæ, quæ est ordine ducentesima quadragesima prima, ad principem Tolosanum, de qua mox plura dicemus. Errores etiam hominis impiissimi e Petro Cluniacensi ad dictum annum recenset Baronius, atque ex hoc Manricus ad eundem annum cap. 12, his verbis signat: « Quod infantibus baptismus sit negandus. Quod templa, et ecclesiæ superflue fabricantur. Quod crux Dominica honoranda, vel adoranda non sit. Quod corpus Domini in sacramento altaris non existat. Quod vanum sit pro defunctis orare. Quod canticis et hymnis ecclesiasticis Deus irrideatur. » Ita ille de blasphemis Henrici dogmatibus.

443. Et continuo sic progreditur idem historicus Cisterciensis: « Hos contra errores succensus Eugenius Papa, legationem decernit, atque Albericum sacræ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, episcopum Ostiensem, quo non præstantiorem in sacro collegio noverat, legatum instituit, serpenti malo efficaciter obviaturum. Is Bernardum legatæ socium efflagitat, quo sine nihil magnum in toto orbe; per quem prospere cuncta peragerentur; defessum hominem et fractum tot itineribus, sed necessarium adhuc, talemque, qui se indigenti Ecclesiæ non negaret: exponendam et vitam, ne, pereunte gente Tolosana, lues in confines provincias grassaretur. Ergo Bernardus in socium datus viro, post longam quamvis peregrinationem jam tertio hoc anno avulsus a suis filiis. « Hac necessitate, inquit Gaufridus, iter arripuit, ab ecclesia regionis illius (Tolosanæ) sæpius jam ante rogatus, et tum demum a reverendissimo Alberico, Ostiensi episcopo, et legato sedis apostolicæ persuasus et reductus. » Prius autem episcopum Carnotum [leg. Carnotensem] Godefridum vocavit in partem sollicitudinis, virum utique ingentem opinione, nec minus sapientiâ pollentem, quam sanctitate. Inde ad Alphonsum, sancti Egidii comitem, has sui adventus prænantias litteras dedit; » quas historiæ suæ inserit Manricus. Præter fragmentum earum, quod exstare apud Gaufridum modo indicabam, alia nonnulla ex istis litteris visum non est excerpere, quia obviæ sunt lectoribus.

444. Non præterierim tamen proferre earumdem elogium, quod Baronius ad annum Christi 1147, priusquam illas Annalibus suis intexat, in hæc concinnatum verba reliquit num. 20: « Quæ quidem epistola Dei beneficio adhuc exstat tanquam gladius in sanctuario asservatus, quo Goliath præcisum est caput: quæ et simul ad conficiendos reliquos Dei

hostes sit potens. Dum vero illam reddiderat laudatus Annalium auctor, sequentia duxit eidem describenda num. 23. Audisti, lector, pseudoapostolus unde venerit, et ad quid venerit: nempe ex religione apostata, ut solutis quibuslibet, quibus tenebatur astrictus, ne diffugeret in carnis opera, vinculis, et ad perficienda mala cuncta, quæ vellet, liber ut esset, hanc carnis libertatem docebat filios hominum. At dum sanctus Bernardus describit Henricum, plane iisdem coloribus pingere visus est nostri temporis infelices hæresiarchas, ex apostasia pariter prodeuntes, et in luxuriæ gurgitem, ut in lutum porcos, sese præcipites dantes. » Hactenus Baronius, et sapienter.

445. Porro viri sancti in urbem Tolosanam adventum, irruentes in eum præ avidissimo affectu populorum turbas, ingentemque fructum memorat Gaufridus antea allegatus. His deinde subnectit miracula, quibus Deo placuit orthodoxæ fidei præconis, errorumque eidem adversantium expugnatoris sermonem confirmare. At de prodigiis erit mihi sermo § proximo; ubi prius addidero antecedentibus, quæ jam retuli, peculiare notitias, quæ virus Henricianum, ac sancti Patris adversus illud labores illustrant. In hanc rem diligenter ac erudite jam pridem incubuit Mabillonius in sua Præfatione generali ad Opera S. Bernardi § 6; unde ista huc transferre placet.

446. « Bernardi in rem Christianam studium exercuit in primis Henriciana hæresis, quam factis et scriptis strenue exagitavit... Henricus, quem vir sanctus monachum apostatam, et post eum Gaufridus appellat, pseudo-eremita vocatur in Actis episcoporum Cenomanensium, tomo tertio Analectorum (a laudato Mabillonio vulgatorum) ubi ejus mores et perversi actus accurate describuntur. Quo ex loco ortus sit, non satis indicant hæc verba: *Per idem fere tempus, nempe sub Hildeberto episcopo, in adjacentium finibus regionum, surrexit quidam hypocrita, quem propria actio, mores perversi, dogma detestabile scorpionibus et parricidalibus dignum protestantur suppliciiis.* Is sub ementito sancti tatis et scientiæ nomine, turpia flagitia exercens, omnium mortalium excessus, cæteris incognitos, ex solo aspectu se cognoscere jactitabat. Missi ad Cenomanos duo ejus discipuli die Cineris suburbia civitatis attingerunt. *Gerabant ex sui doctoris consuetudine baculos ac vexillum crucis, colore et exteriori conversatione habitum prætendentes penitentium.* Hac specie delusi Cenomanni eos tanquam angelos susceperunt. Eisdem etiam blande excepit Hildebertus episcopus, qui « *Romanum iter (agressurus), inter cætera suis injunxit archidiaconis, ut illi pseudo-eremite Henrico pacificum ingressum et licentiam sermocinandi ad populum permitterent.* » Cujus rei postmodum ipsum abunde pœnituit.

447. « Ex his forte quis inferat Henricum fuisse ortum ex proxima Cenomanis regione, quibus primum suæ perversæ doctrinæ virus propinavit? Si enim jam aliunde notus fuisset, eum in suam civitate

tem non tam facile admisisset Hildebertus antistes doctus et oculatus. Verum ex longinqua regione istuc accedere potuit, et fortasse ex Italia, ut postea dicitur sumus. Henrico civitatem ingresso, vulgus solito more applausit novitati (Quin etiam) plerique clericorum eidem alimenta ministrabant, tribunalque præparabant, unde concionator ille turbas alloqueretur (quod) mirum ad modum facundus erat. (Eo audito) plebs in clericos versa est in furorem, (eos habens) sicut ethnicos et publicanos: (adeo ut) famulis eorum minarentur cruciatus, nec eis aliquid vendere, vel ab eis emere vellent. (Imo) non tantum eorum aedes obruere, et bona dissipare, sed illos lapidare, aut affigere patibulo decreverant, nisi princeps et optimates nefandis ausibus restitissent.

448. « Hoc serius licet comperto, clerus Cenomanensis Henrico, ejusque sociis prædicationem edito libello interdixit. Quare Henricus, Hildeberti reditu intellecto, secessit in castrum sancti Carilefi, nequaquam ab inceptis desistens, sed ad pejora prorumpens in dies. Interim cum Hildebertus, ex Romano itinere reversus, populo benedictionem impertiri vellet, indigne habitus est a populo, hæretici sermonibus corrupto. Tum ille seductorem adiit, sciscitatus, cujus ordinis fungeretur officio. Hic vero se diaconum esse respondit; qui ex illa provincia discedere jussus, « *clam aufugit, cæteras regiones, nisi oclor esset fama; simili modo perturbaturus, et viperino flatu suo infecturus.* » Hactenus ex actis Hildeberti.

449. « Inter hæc duo Henrici discipuli, Cyprianus et Petrus, ab ejus præstigiis resipuerunt, ut fidem facit encyclica Hildeberti epistola 78, in qua ita eorum magister depingitur: « *Henricus is erat, magnus diaboli laqueus, et celebris armiger Antichristi. Huic et habitu religionem, et verbis litteraturam simulanti, tam diu præscripti fratres adhæserunt, donec eis et turpitudine in vita, et error innotuit in doctrina. Ubi enim cognoverunt vias ejus vias esse non rectas, prius ad se reversi sunt; dehinc ad nos transierunt, cujus diacessim sic infecerat, ut renitens ei clerus vix inter parietes ecclesiæ suam tueretur libertatem.* Ita Hildebertus serius agnovit, quantum periculi imminet ex incauta approbatione novorum doctorum, qui sub specie pietatis animos auditorum corrumpunt.

450. « Ex his patet Henricum illum longe prius Cenomanos infecisse, quam ad partes Tolosanas, unde eum expulit Bernardus, subiret; quippe cum Romanum iter, quod Hildebertus adhuc Cenomanensis episcopus aggressus est, quo tempore infamis ille prædicator zizania sua seminavit apud Cenomanos, contigerit ante annum 1125, quo anno Hildebertus in metropolim Turonicam migravit. At vero Bernardus non nisi anno 1147, ad Tolosanas partes profectus est. Et certe in epistola 241, quam in partibus Tolosanæ constitutus scripsit ad Hildefonsum comitem, id satis innuit vir sanctus his verbis: « *Inquire, si placet, quomodo de Lausana civitate*

*exierit, quomodo de Cenomanis, quomodo de Pic-tavi, quomodo de Burdegali.* » Hæc quippe videtur esse series itineris illius apostotæ, quia a Lausana, deinde a Cenomanis prædicandi exordium sumpsit.

451. « Et fortasse Lausanam venerat ex Italia, ex qua ejusmodi faeces in partes Gallicanas transmigrarunt, reliquiæ Manichæorum, uti et illi Cameracenses hæretici ex Italia advecti, qui anno 1125 damnati sunt in synodo Atrebatensi, quo etiam tempore similes ejusmodi pestes apud Aurelianos igni perierunt. Et quidem Henricianos appellat Manichæos Exordium Cisterciense in libro VII de Vita S. Bernardi, cap. 17, ubi legatus papæ, aliique episcopi, pro confutanda hæresi Manichæorum, ad partes Tolosanas cum viro sancto accessisse memorantur. Jam vero quo pacto ejusmodi hæreticis, eorumque sequacibus, Manichæorum nomen et errores competant, illustrissimus Meldorum episcopus in eximio Opere suo, quod de variationibus hæreticorum scripsit luculenter ostendit libro XI.

452. « Idem Henricianæ hæretici in Petrocorios effusi, Pontio duce et antesignano, uti docet Herberti epistola in tomo tertio nostrorum Analectorum: ubi peculiariter Pontianorum illorum commenta referuntur. Inde est, quod Bernardus ad Petrocorios seu Petragorios populus se contulit, ut patet ex tertia parte libri VI, qui est de ejus miraculis, num. 4, ubi Arianos plurimos apud Tolosates invenisse, eosque, uti et Henricum hæreticum, fugasse memoratur. Quin etiam idem Henricus, in Pisano concilio antea damnatus, et Bernardo ut monachus in Claravalle fieret, commissus dicitur. Verum ille acceptis a Bernardo ad Clarævallenses litteris in suscepto semel errore obfirmate persistere maluit, quam ad salutis viam hoc compendio redire.

453. « Henricum vivis coloribus depingit Bernardus in prædicta epistola 241, ubi eum litteraturam, speciem habentem pietatis, sed aleis et meretricibus deditum scribit. Impia ejus dogmata hæc fere commemorat: sacerdotum et clericorum respectus nullus, sacramentorum atque festorum abolitio; baptismus parvulis negatus. Alterius classis erat apud Hildebertum in epistola 51 hæreticus ille, qui sanctorum intercessionem rejiciebat, ipsum Hildebertum in suæ sectæ patrocinium traducere perperam conatus. »

§ XLIII. Alii hæretici a Sancto impugnati.

454. Quærit Mabillonius citatus, « an iidem cum Henricianis fuerint hæretici illi, quos Bernardus in sermonibus 65 et 66 super Cantica impugnat. Et quidem non alios fuisse, aliquando mihi fuit persuasum: at reperta Evervini abbatis Steinfeldensis epistola, quæ prædictis sermonibus occasionem dedit, mutanda est sententia. Colonienses quippe fuerunt isti hæretici, in nonnullis quidem consentientes cum Henricianis, sed ab his in multis discrepantes. Colonienses in duas classes distinguit Evervinus. Uni dicebant Ecclesiam apud se tantum esse, quasi ipsi soli vestigiis Christi inhaerent. In cibis vetabant lactis usum,



et quidquid inde conficitur. In sacramentis suis velo se tegebant, et quotidie cibum et potum suum in Christi corpus et sanguinem se consecrare asserebant: cæteros in sacramentis procul a veritate abesse. Præter baptismum aquæ, alium admittebant in igne et spiritu per solam manum impositionem. Baptismum vero nostrum cum nuptiis respuebant. Denique aiebant quemlibet e suis electum seu baptizatum habere potestatem alios, qui digni fuissent, baptizandi, et in mensa sua corpus Christi et sanguinem conficiendi.

455. « Alii vero sacerdotibus Ecclesiæ, utpote sæculari more viventibus, consecrandi potestatem abjudicabant, aliaque sacramenta conferendi, excepto baptismo, quem solis adultis, non parvulis conferebant. Omne conjugium, præter illud quod inter virgines masculum et feminam contrahitur, fornicationem reputabant. Postremo suffragia sanctorum, jejunia, cæterasque corporis macerationes respuebant, uti et purgatorium, et suffragia pro mortuis. Itaque Henricianis et Coloniensibus hæreticis communis fuit genius, odium in Ecclesiæ ministros, sacramenta, baptismum parvulorum et nuptias: pauca peculiaria, quæ non sectæ genus, sed quamdam tantum capitum diversitatem arguunt. Uno verbo, diversi fuerunt rami, sed ex eadem radice produeunt. Nec dubitem Coloniensibus illos hæreticos ex Tranchelmi officina prodiisse. »

456. A superiore hæreticorum colluvie distincti nomine saltem fuere Apostolici, uti se vocabant: de quibus historicus Cisterciensis ad annum 1147, cap. 14, hæc litteris consignat: « Henricianis hæreticis compressis, et magna ex parte Ecclesiæ reconciliatis, jam Pater sanctus ad suos revertebatur. Cum ecce incidit in aliam sectam hominum, qui se Apostolicos volebant appellari. Rusticum quidem genus agresteque, et sine præceptore aut duce, quem sequerentur; sed eo difficilius dissuadendum: quippe singulis seorsim adeundis, et quibuscum nec Scriptura utendum, nec ratione. De his sanctus reversus jam ad filios, cum toties pro Ecclesia, hoc est, pro sponsa Canticum interruptum reassumpsset, Sermonem (66): *Rusticani homines sunt, et idiotæ, et prorsus contemptibiles. Sed non est dico, vobis, cum eis negligenter agendum. Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* Et paucis interjectis, « Quære, » inquit sanctus doctor, « ab illis suæ sectæ auctorem: neminem dabunt. Quæ hæresis non ex hominibus habuit proprium hæresiarcham? Manichæi Manem habuere principem et præceptorem, Sabelliani Sabellium, Ariani Arium, Eunomiani Eunomium, Nestoriani Nestorium. Ita omnes cæteræ hujusmodi pestes, singulæ singulos magistros homines habuisse noseuntur, a quibus originem simul duxere et nomen. Quo nomine istos titulove censebis? Nullo. Quoniam non est ab homine illorum hæresis, neque per hominem illam acceperunt, » etc.

457. Jam vero quia nec habebant auctorem, nec

nomen, Apostolos se nuncupari voluisse, testatur sanctus in eadem epistola his verbis: « Non ignoro, quod se et solos corpus Christi esse gloriantur. Sed sibi hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua corpus Christi et sanguinem consecrandi ad nutriendum se in corpus Christi et membra! Nempe jactant se esse successores apostolorum, et Apostolicos nominant, nullum tamen apostolatus sui signum valentes ostendere. » Habes verba S. Bernardi de istis hæreticis: cujus si dictum consideres. *Quo nomine istos titulove censebis? Nullo;* probabilius est, eos nomine et auctore ab Henricianis fuisse diversos. Coloniensibus tamen eos adnumerat Mabillonius in notatione ad mox productum locum, hæc observans: « Nescio, an id dicturus fuisset Bernardus, si Colonienses isti Henricum, a quo Henriciani hæretici, auctorem habuissent. Quanquam similia utrorumque dogmata erant, ut patet conferenti epistolam 240. Coloniensium duas classes notat Evervinus, quas Bernardus non nisi obscure distinguit in fine Sermonis 65. »

458. Adversus impurissima itaque ac perversissima hujusmodi sectariorum dogmata calamum strinxit sanctus doctor. Videsis sermones ejus 65 et 66 jam allegatos, nec non eminentissimum Baronium ad annum Christi 1147, hoc viri sancti elogio rem concludens: « Quem scientia divinitus illustratum, in virtute miraculorum multipliciam a Deo missum et probatum, atque egregia vitæ sanctitate imbutum, Dei amicum fuisse cum certo sciam, ipsi penitissime inhærendo, qui inhæsit Deo, securus existo: deplorans ex Christiana charitate perditissimos novatores, qui hos nefandissimos sectantes brutos hæreticos, iisdem, plane immensa cæcitate percussi, plus deferant, quam Bernardo: ut jure cum Jeremia sit exclamandum: *Obstupescite, cæli super hoc.* »

459. Quæ de sancti doctoris miraculis apud Tolosanum factis in confirmationem fidei orthodoxæ adversus colluviem Henricianam, refert Gaufridus supra assignatus, tam parca sunt, ut mereantur ex aliis documentis suppleri. Ac primo quidem loco prodeat illud, quod legitur in Exordio magno Ordinis Cisterciensis apud Tissierium distinctione 2, cap. 18. « Dum adhuc in eadem regione (Tolosana) reverendissimus Pater moraretur, et tanquam ex apostolis unus circumiret per castella et civitates, evangelizando et curando omnes languores, hæreticorum quoque turpissima deliramenta redarguendo, convincendo, confutando, accidit, ut cæcus quidam in vicinia eadem, comperta fama virtutum atque signorum, quæ per manus hominis Dei multiplicabantur per dies, spe recuperandæ sanitatis animatus, eundem Dei famulum adire decrevit [fort, decreverit], si forte beneficio celestis gratiæ, quæ per ipsum miseris mortalibus copiose tribuebatur, sibi quoque, cæcitatæ caligine detersa, lumen dulce restitueretur. Accelerans itaque, et ubinam san-

ctum Dei reperire posset, sollicitus inquirens, audit, eum in quodam celebri conventu in medio magnæ multitudinis consistere, verbumque vitæ disseminare.

460. « Quo, cum pedibus offendens, et anhelus currens, pervenisset, tristi rumore percellitur, quoniam vir Domini jam inde recesserat, et ad alia loca transmigraverat. Quid tamen ageret, siquidem desiderium recipiendæ sanitatis cum eum ulterius currere compelleret, densissimæ tenebræ, quæ oculos ipsius obsederant, pigrum et minus expeditum reddebant. Cumque in defectione mentis constitutus multa tristitia contabesceret, subito divina gratia inspiratus, et de meritis beatissimi viri spem toto corde concipiens, circumstantibus ait: *Rogo per misericordiam Dei, ducite me ad locum illum in quo hominem Dei stetisse, vel sedisse, certissime scitis.* » Quod cum benevolentia eorum, qui aderant, continuo consecutus fuisset, veniens ad locum, toto corpore in terram prosternitur, miraque devotione pulverem ipsum, in quo sacra viri Dei vestigia steterant, deosculando, Domini quoque misericordiam per merita servi sui enixius implorando. Quod dum faceret, et de ipso pulvere, fide plenus, oculos suos confricaret, repente, miserante Domino, qui sanctitatem famuli sui, licet absentis, etiam in hac gratia declarare dignatus est, lumen oculorum recepit. Quod factum non solum catholicis orthodoxæ fidei firmamentum contulit, verum etiam malignioris hæreticis confusionis et opprobrii notam adauxit. » Hactenus Exordium.

§ XLIV. *Hæretici obdurati a Deo puniti; sanctitas Bernardi et miracula in summa sunt veneratione apud Tolosanum; inde non est profectus in Hispaniam.*

461. Verum non divinis duntaxat favoribus causam Dei ac veræ fidei promovit sanctus noster thaumaturgus apud Tolosanum; sed etiam eos, qui audientem vocem Domini per Bernardum, obdurabant corda sua, pœnis coercuit, ex Chronico mox citando: « Ægrotantem ergo terram tantæ infidelitatis disgratia [i. e. infortunio] vir religiosus beatus Bernardus Claravallensis abbas, vita et litteratura conspicuus, zelo fidei accensus, aliquando visitavit, et ad castrum Viridisfolii, quod eo tempore vernabat militari multitudine, et vulgari, duxit ocius accedendum, intendens quod, si posset, ibi extinguere hæreticam pravitatem, quæ locum ipsum multum infeceerat, facilius contra eam in aliis prævaleret. Cumque cœpisset sermonem in ecclesia proponere contra eos qui majores erant ibi, illi ecclesiam exierunt: quos et populus est secutus: quos vir beatus sequens, in platea cœpit proponere verbum Dei. Illi autem per domos undique latuerunt. Eo tamen plebeculæ circumstanti nihilominus prædicante; sed eis perstreptibus, et fores percutientibus, ut et nec plebs posset percipere vocem ejus, et allegantibus verbum Dei, excusso pedum pulvere in testimonium illis, ut esse pulverem, et reversuros in pulve-

rem declararet, exivit ab eis, et ipsum castrum respiciens, maledixit dicens: *Viridefolium, desiccet te Deus.*

462. « Quod quidem manifestis indicis perseverat. Nam eo tempore, sicut antiqua tenet relatio, erant in eodem castro centum hospitia militum, equos cum intersignibus, et arma habentium, ad avenam alienam non revenientium, sed ad suam; ex tunc vera pauperies, sicut vir armatus, cœpit occurrere eis frequenter; quos aut grando frequens, aut sterilitas, aut seditio, aut guerra etiam parum quiescere non permisit. Nam et ipse, cum infans essem, vidi nobilem virum dominum Isarnum Nebulatum, qui fuerat major dominus Viridisfolii, qui bene dicebatur ætate centenarius, Tolosæ contentum uno roncino pauperrime commorantem. Qualiter autem et quantum animadversum est, Dei judicio in plures, qui defecerunt, ejusdem castri dominos, ipsa rerum declarat evidentiæ: dum quod vir sanctus maledixerat, nequiverit reparari, donec dante ipsum castrum comite Montisfortis venerabili patri domino Fulconi, episcopo Tolosano, ex tunc cœpit paulatim, expulsis inde dominis, reformari, sicut suo loco sequentiæ declarabunt. » Hæc narratur in Chronico magistri Guillelmi de Podio-Laurentii, quod Castellus vulgavit ad calcem suæ Historiæ comitum Tolosanorum, capitulo 1. Terminos duos in textu occurrentes expono. *Viridefolium*, vernacule *Verfeuil*, castrum est in diocesi Tolosana, apud quod S. Dominicus postea congressus est cum hæreticis Albignensibus. Roncinus autem mihi hic est equus minor, gregarius, Gallis *roncin*, *roucin*, vel *rossin* Consule Glossarium Cangii. His itaque suppletur quæ Gaufridus memorat de miraculis S. Bernardi apud Tolosanum.

463. Miracula porro ac prædicatio, nec non fama eximæ sanctitatis mirabilem ibidem erga illum concitavere venerationem; uti patet ex eo quod in ipse etiam ad Tolosanum adventu, atque adeo priusquam ullum forte signum apud ipsos patrasset, adeo jam tum in amoribus ibi fuerit, ut nihil supra. Audiatur Gaufridus lib. III, cap. 2. « Veniens autem cum incredibili devotione susceptus est a populo terræ, ac si de cælo angelus advenisset. Nec moram facere potuit apud eos, quod irruentium turbas reprimere nemo posset, » etc. Quid? « quod tanta fuerit multitudo irruentium populorum, benedictionem poscentium, ac sacras manus deosculantium, ut, tenerrima prorsusque attenuata carne ipsius compressionem et impetum crebro deosculantium ferre non valente, manus et brachia sacra in modum pugnorum intumescerent, et unde alii benedictionem sibi per virtutem, quæ de illo exibat, procurabant, inde ipse debilitatus, et penitus conquassatus, graves corporis molestias sustineret; » ex magno Exordio distinctione 2, cap. 18, post relata signa viri sancti, quæ in regione Tolosanorum facta sunt.

464. Adeo autem insignis ibidem veneratio de ipso concepta atque hominum animis penitus insita



et quidquid inde confecerat, ut a quodam malevolose tegebant, et quotiens evelli vel obscurari non Christi corpus et sanguis etiam magis fulserit, dicebant: ceteros in salute, qua virum Dei impetebat, abesse. Præter baptismum retusa. Factum narrat in igne et spiritu distinctione 2, cap. 17. « Quobaptismum verum ait, cum legatus domini papæ, alidénique aiebat, pro confutanda hæresi Manichæorum ptizatum hæc Tolosanas sanctum Domini Bernardum baptizandum traherent, paraverunt ei fratres equitaturam guinem meliorem, quæ tam longo itineri sufficere

455. « Qui cum ad illas partes, comitantibusculari in opis devenisset, Henricus quidam monachus dicabatur, tunc autem apostata vilis, et eorundem baptisericorum princeps, cognito adventu famuli Dei, bar veritus est a facie ejus, sciens quia non posset resistere sapientiæ et spiritui, qui in eo loquebatur. Proinde maturata fuga delituit, et minime potuit usquam eo tempore reperiri.

465. « Ibi quoque glorificavit Dominus servum suum in conspectu totius populi, et principium terræ, faciens quotidie, per manus illius, signa et prodigia magna in plebe. Nec facile credi potest quanta turbaram infinitas apostolicum virum tota die prosequeretur: dum alii eruditionem, alii curationem, universi benedictionem ab eo postularent. Quadam igitur die, præsentem innumerabili hominum multitudine, cum eos copiosius de fide catholica conservanda, et de immunda hæreticorum societate vitanda commovisset, contigit adesse quemdam de hæreticis illis, qui potentior cæteris atque prudentior videbatur. Qui eum amaro oculo cerneret venerationem, quam Dei famulo populus impendebat, moliebatur aliquid agere, unde claritatem opinionis ejus aliquatenus obnubilaret, et daret maculam in gloria illius. Jamque expletis omnibus, quæ ad præsens necessaria videbantur, vir Dei equum suum ascenderat ut abiret. Et ecce prædictus hæreticus, quasi coluber tortuosus erecto capite venit ante hominem Dei, et clamans coram omnibus ait: « Domine abbas, sciatis quia caballus magistri nostri, qui tam malus vobis apparet, non ita cervicosus et pinguis est, sicut iste sonipes vester. »

466. « Quo audito, vir mitis et patiens respondit ei mox tranquillo vultu et animo dicens: Non diffiteor, amice, quod astruis. Verumtamen scire te convenit, quia jumentum istud, de quo mihi insultas, brutum est animal, unum utique ex illis quæ natura prona atque obedientia ventri finxit. Quod si pro libitu suo comedit, atque pinguescit, nihil inde justitia læditur, quia jumentum, quod suum est, facit. Proinde non erimus arguendi in judicio Dei, ego et magister tuus, de cervicibus jumentorum: sed unusquisque de collo suo judicabitur. Nunc igitur, si placet, respice collum meum, et vide: et si grossius est collo magistri tui, inde me forsitan juste reprehendes. Hoc itaque dicto caputium exiit, et capite denudato usque ad humeros,

A apparuit ipsius collum, ut erat, productum et gracile: quod quamvis esset carnibus exesum et tenuè, erat tamen ex dono cœlesti pulchrum et candidum nimis, sicut collum oloris. Quod cum viderent universi qui aderant, lætati sunt lætitiâ magna, benedicentes Dominum, qui dedit in ore famuli sui tam paratum et conveniens responsum, unde confunderetur, et obstrueretur os loquentium iniqua.

467. Annalista Cisterciensis cum ad annum 1147, cap. 13, edocuisset, quam se gesserit egregie. S. Bernardus in prædicatione Tolosana, refert ac refellit sententiam illorum, qui volunt virum Dei in Hispaniam fuisse profectum. Opinio hæc si vera foret, huic anno iter illud innectendum, observat duabus de causis, « tum quia in eo monasterium de Spina fundatum est, ut suo, ait, loco dicemus; tum quia ex Tolosa transitus facilior, quippe provincia Hispaniæ convicina. » Ita ille, subjiciens argumenta adversus hanc sententiam male fundatam; sed nos illa aliunde promemus. Dum anno Christi 1721, esse-mus Matrili, manuscripta posthuma Nicolai Antonii v. cl., et bibliotheca Hispana a se in lucem data reipublicæ litterariæ notissimi, nobiscum communicavit perhumaniter reverendus admodum et amplissimus dominus Adrianus de Coninck, propinquus laudati auctoris consanguineus. In istis vero mss. totus est clarissimus hic Hispanus scriptor in impugnandis et convellendis figmentis fabulosis, ac commentis apocryphis pseudochronographorum famosorum, imo vero, loquamur aperte, infamium. Proferamus itaque hic quæ ex ejus mss. deprompsimus ad præsens institutum. Confutat autem personati Juliani Petri, archipresbyteri S. Justæ, typis editi, locum, qui est in ejus Adversariis pag. 96, num. 418.

468. « Novum quoque et inauditum hactenus, imo falsissimum est S. Bernardum, Clarevallensem abbatem sanctissimum in Hispaniis fuisse, et quid quid loco mox citato mendaciorum et ineptiarum continetur. » Hæc igitur ibi lego in Adversariis: « Ex quo imperator Adefonsus cepit Toletanam civitatem, et Christianis restituit, jussit, ut vocaretur civitas imperatoria, caput imperii Toletani et Hispani, et imperator, ut dictum est, auctoritate Anastasii papæ IV coronatus est: et ideo Bernardus Clarevallensis vocat eum sic. Hic sanctus vir venit in Hispaniam cum fratre Bernardo, et inivit monasteria Toleti S. Clementis, et S. Dominici Exiliensis, et postea ad moniales S. Clementis scripsit. Fundavit in Hispania monasterium dictum de Spina. » Fabulatorem hunc ita castigat laudatus Nicolaus Antonius: « In primis duos Alfonsos VI et VII, pueriliter confundit: nam sextus Toletum cepit a Mauris; septimus vero, prioris nepos, ex Urraca filia ille fuit, quem coronatum imperatorem Anastasii papæ auctoritate nos jam docuerat in Chronico... quamvis uterque eorum imperator ab eo audiat, quod revera appellati sunt.

469. « Deinde quod dicitur S. Bernardum scri-

psisse ad hunc Alfonsum VII, imperatoris nomen ei attribuendo, æque falsum est, aut certe nusquam rei indicium reperias inter epistolas sancti abbatis. Duæ editæ sunt ad Alfonsum; sed Portugaliæ regem primum; nempe 308, ac 367, quæ nihil ad Julianum. Eundem autem Bernardum ad Hispanias venisse negat apertis verbis ejus Vitæ ejusdam partis auctor Gaufridus Clarevallensis monachus, sancti Patris alumnus, et qui se ait omnibus, quæ narrat, interfuisse. Is auctor est secundi lib. qui alias tertius, et quartus et quintus dicitur Vitæ S. Bernardi; ut constat ex præfatione hujus partis in editionibus studio clarissimi viri Jacobi Merloni Horstii digestis (Parisiensem habemus anni 1658). Apertissime is, ubi de variis et illustribus miraculis Coloniae, Aquigrani, Leodii, Cameraci, et in Hispania factis caput sextum libri iv inscripsisset, de Hispaniensibus miraculis sic præfatur. *Nam et in Hispania, ubi præsens ipse non fuit, sanctitatis ejus indicia claruerunt.* Quo quidem Gaufridi testimonio utitur doctissimus Benedictinorum ordinis scriptor F. Antonius Yepesius tom. VII, centuria 7, anno 1146, fol. 370, col. 4, ad arguendum nonnemini errorem (hunc commisit noster Joannes Mariana in Historia de rebus Hispaniæ lib. x, cap. 12, ad annum 1123) qui deceptus non obscuris sancti abbatis ad Petrum Venerabilem ex Hispania redeuntem verbis, epistola 227, « quæ est 228 in editione Mabillonii » locutum de se ipsum Bernardum credidit. Nec minus aliquam epistolæ ad S. Clementis Toletanæ urbis sanctimonialis directæ comprobationem, quæ ruinosa asseverantes fidem quoquo modo commendat, invenimus.

470. « Claudis mendaciorum agmen tributa eidem viro sanctissimo fundatio apud nos monasterii de Spina, quod in lameno loco] utriusque regni Castellæ Legionis, a Vallisoletto sex, a Tauro urbe quinque leucis distans, nomenclatura ista propter spinam coronæ Dominicæ in ea servatam, Sanciæque infanti, Alfonsi VII imperatoris sorori, domus fundatrix, a Ludovico juniore dicto, Franciæ rege, Parisiis prætereunti donatam gaudet. Rem narrat idem Yepesius eod. tom. VII, anno 1143, cap. 1, fol. 328, adductis et explanatis iis quæ significare quodammodo videbantur, præsentem Bernardo oblatum, et in manus traditum a Sancia monasterium congruenter dotatum; nempe dotationis ipsa charta, qua dono dare se Bernardo, Clarevallensi abbati, ait pia heroina, hæreditatem S. Petri de Spina, et item privilegio quodam Alfonsi regis, Sanciæ fratris, in ampliationem ejusdem domus similiter concepto: quæ quidem æque ac de præsentibus dici de absentibus, quorum in gratiam donationes et oblationes celebrantur, passim consuevere.

471. « Siquidem S. Bernardum, misso fratre suo Nivardo (Bernardum legimus apud Julianum) in Hispanias, ejus inde et a Sancia ad se reversi vir sanctissimus meminuit in quadam epistola, ad eandem directâ, quæ est 301, piæ donationis exceptorem manus et industriam fabricæ admovisse, constans

A fama ejusdem domus est, *coirgineo lacte irro-* antiquis his versibus, quos p

inscriptos, et aulæis in texto mentario prævio § 40, PETIT

ÆDIFICATISSIMO ascribuntur, SANCIA BERNARDUS PER NIVARDUM erat de ima-

PROTEGIT

SPINEA CORONA

PEUNCTIS aucto Petro enim apostolorum principi dicat annum fuit ea religiosorum ædes, templumque de S. rirpostea nuncupata. Monasteria S. Clementis Toletani monialium; item S. Dominici Exiliensis virorum adisse Bernardum falso dixit Julianus, adventum clarissimi abbatis ad nos mentitus. »

472. Porro de fundacione S. Petri de Spina tractat Manricus ad annum 1147, cap. 18, ubi ex epistola S. Bernardi 381, quæ superius citata est, Nivardi (fratris natu minimi ex fratribus sancti doctoris secundum carnem, an alterius?) adventum in Hispaniam magis, quam finem constare, fatetur. Si quis autem de pseudo Juliano Petri. S. Justæ Toletanæ archipresbyteri, uti se nominat, plura nosse desiderat, laudatum Nicolaum Antonium consulat tomo II Bibliothecæ Hispanæ veteris, cap. 8 ubi auctor ille eruditus Opera ejus examinat, et uti falsa et commentitia castigat; eorumque inventori personato larvam detrahit. Capite autem 9, producti duodeviginti locos, ex quibus Juliano Chronicon et Adversaria refelli, cuius sit exploratum.

473. Quid, quod ipsemet Tamayus, tam credulus alloqui, tamque misere simplex atque immodicus pseudochronicorum hujusmodi æstimator, in suo Martyrologio Hispano tom. II, ad diem 3 Aprilis, pag. 469, pronuntiare coactus fuerit ista: « Videmus passim in hisce Juliano Adversariis tot glossematum ineptias, quod potius ferrum, quam illas deglutire compelleremur. » Verum hæc ex incidenti, ut ita dicam, relata sint de commentitio S. Bernardi itinere in Hispaniam. Veris certe et ita multis ad extinguenda schismata et exstirpandas hæreses abundat et inclarescit peregrinationibus vir plane apostolicus, ut falsam ipsi affingere, necesse nequam sit. Nunc videtur nobis opportunum, hisce, quæ in isto genere fecisse ipsum antea narravimus in depellendis malis ab Ecclesia Dei, subjungere bonâ innumera, seu profectum in emendandis moribus reipublicæ Christianæ.

§ XLV. Sanctus Pater in emendandis ecclesiasticorum, monasticorum, ac sæcularium moribus fructuose intentus.

474. Argumenti hujus materiem ac formam debemus, et acceptam referimus eruditissimo Mabillonio, qui in præfatione generali in novam suam operum S. Bernardi editionem § 3 sic memorat: « Corruptos sui sæculi mores passim luget ac deplorat vir sanctus, maxime in Ecclesiæ ministris, quorum plerosque ad meliorem frugem adduxit, adeo ut tota Ecclesiæ ac cleri, in primis Gallicani facies suis monitis ac sermonibus penitus immutata fuerit, et in antiquum decus restituta. Quippe Eugenium, vi-